QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVI. MENSIS NOVEMB. MAGISTRO ANTONIO CHARPENTIER DOCTORE MEDICO MODERATORE.

644

An detur sudor sanguineus?

HEPAR in animantis corpore primogenitum, & alteranda totius temperie, corde potentius, chylum ope venarum mesenterij trahit, quem non modò caloris innati, elementaris, beneficio, sed ingenita proprietate soli eius parenchymati concessa, in ἀνάληψιν partium effluuij perennis sanguinis specie ornat, qui vt purior defæcatiorque deferretur, ἐπιγογενὴς licet ab eodem calore, hepati supposita cystis amariorem bilis naturalis portionem sugit quam vbi supra modum turgescit, & naturæ molesta esse occipit in ἔκφυσιν ad vberiorem fæcum excretionem, deponit. Ex aduerso lien positus qui humorem melancholicum pro alimento trahit, eiusque tandem ad nutriendum ineptas reliquias in os ventriculi proprio ductu eructando eijcit, non sine languentis appetentiæ magno fructu, & ventriculi coquentis τόνῳ.

SERVM, ἀναδόσεως facilitandæ officio defunctum & per eosdem tubos refluens in venam cauam, renes emulgent vnà cum sanguine quem pro alimento retinent, & quod inutile alendo, per vreteres in vesicam deponunt, (ex quo vrina quæ nihil aliud, quàm materia potulenta alimenti vehiculum in iecore & vasis alterata & permixta à calore naturali aut præternaturali.) In venam cauam nî remeet serum, à calore aut resoluitur, aut in sudorem conuertitur, qui raritate corporis, excrementorum copia, & eius quod vacuatur tenuitate, multus & copiosus fluere debet: hinc vrinæ & sudoris communis cùm sit materia, nihil mirum eos hyeme copiosius meiere, qui æstate quàm vere magis sudant.

SVDOR, portio vaporis sursum elati aut seri à iecore alterati, & sanguini deducendo per venas à natura transmissi ac demùm ex venis ipsis per meatus occultos expulsi, euacuatio est & actio naturalis, quam efficit in sanis calor, isque humidus, in morbosis siccus, humores extenuans: Quid si, vtroque feriante calore sæpius vrgentibus animi pathematis grauioribus, sæuiente dolore, aut in deploratis affectibus mortis certò futuræ αἱμόδρομοι sudores erumpant ex alimentarij humidi ad cutim exudatione.

SVDORVM differentias, quantitas, qualitas, substantia definiunt; à substantia quidem, sudores crassi ex calido & frigido nati; tenues quos visu & tactu sensuum omnium nobilissimo & certissimo κριτηρίῳ tales esse iudicamus; à quantitate copiosi, qui in conualescentibus per somnum erumpentes vel largiorem cibum, vel corporis impuritatem denotant, in continuis febribus earumque accessionis initio, funestum quid portendunt. Pauci à conniuentia cutis pororum à calido & frigido orta, retentrice valida, expultrice debili, qui si in sanis corporibus, vel obstructionem, vel crassorum humorum copiam arguunt; in morbis acutis numquam sine periculo, talesque censendi interfecti; omnium exitialissima ἐφίδρωσις, caput, ceruicem, collum aut pectus obsidens.

QVALITAS suas etiam habet sudorum differentias; tactilis frigidos & calidos; gustatilis amaros à biliosi ichoris permixtione, salsos à seroso excremento quod diu agitatum calore atque extenuatum, & cum aliqua bilis portione mixtum facilè salsedinem contrahit. Odoratilis odoratos; fœtidos ex ἀπεψίᾳ natos, Recutitis gentilitios, sexui muliebri, ætati pubescenti, senili, lienosis, & gibbis familiares, licet non necessario putrefactionem in venis esse conuincant. Visilis, sudorum colorem humori sub cute delitescenti, similem profert, hinc singulis humoribus suus cùm insit ichor, quid mirum sudorem esse album à pituita; flauum, qualis ictericorum, à bile; nigrum, ab humore melancholico; rubeum à sanguine tenui & aquoso, laxitate cutis, & magno spirituum in venas irruentium impetu.

Ergo datur sudor sanguineus. 91

Propugnabat Lutetiæ IACOBVS IOVVIN PARISINVS, Anno R. S. H. M. DC. XXIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. DIONYSIVS ALAIN.
M. LAZARVS PENA.
M. IACOBVS COVSINOT.
M. PETRVS DE BEAVRAINS. M. R.
M. IOANNES TEXIER.
M. ROBERTVS TVLOVË.
M. PETRVS SEGVIN. M. & P. R.
M. PETRVS PIIART.
M. PHILIPPVS HARDVINVS DE S. IAQVES. M. R.